ET FACTUM EST CUM APPROPIN
QUASSET ad bethfage et bethania uenit ad mon
tem qui uocatur oliueti, misitque duos discipulos dicens: Ite
in castellum quod contra uos est. In quo introeuntes inuenie
tis pullum asinae alligatum in quo nemo sedit; soluite
illum et adducite. Pulchre relictis iudeis habitaturus in affectibus
gentium templum dominus ascendit. Hoc enim templum est uerum, in quo non in littera sed in
spiritu dominus adoratur. Hoc dei templum est, quod fidei series non lapidum structura
fundauit. Deseruntur ergo qui oderant, eliguntur qui amaturi erant. Et ideo
ad montem uenit oliueti, ut nouellas oleas in sublimi uirtute plan
taret, quorum mater est illa quae sursum est ierusalem. In hoc monte est ille caelestis
agricola, ut plantati omnes in domo dei possint uiritim (i. singulariter) dicere: Ego autem
sicut oliua fructifera in domo domini. Et fortasse ipse mons christus est. Quis enim
alius tales fructus ferret olearum non turgescentium ubertate bacarum, sed
spiritus plenitudine gentium fecundarum? Ipse est per quem ascendimus et ad quem
ascendimus. Ipse est ianua, ipse est uia, qui aperitur et qui aperit, qui pulsatur ab in
gredientibus et a bene meritis adoratur. Ergo in castello erat et ligatus
erat pullus cum asina, non poterat solui nisi iussu domini. Soluit eum manus a
postolica. Talis actus, talis uita, talis gratia. Esto talis et tu, ut possis ligatos
soluere. Nunc consideremus qui fuerint illi, qui errore detecto de parady
so eiecti in castellum sint relegati, et uides quemadmodum quos mors expu
lerat uita reuocauerit. Et ideo secundum matheum et asinam et pullum legi
mus, ut quia in duobus hominibus utrumque fuerat sexus expulsus, in duobus
animalibus sexus utrumque reuocetur. Ergo illic in asina matre quasi
euam figurauit erroris, hic autem in pullo generalitatem populi
gentilis expressit. Et ideo pullo sedet asinae. Bene in quo ne
mo sedit, quia nullus ante quam christus nationum populos uocauit
ad ecclesiam. Denique secundum marcum sic habes: quem nemo ad
huc sedit hominum. Alligatus autem perfidiae uinculis tenebatur.